

uerum & iam ab omnibus inimicis uelint nolint enim ipsi quoque
 heretici & schismatici alumni quando non cum suis sed cum
 extraneis loquuntur catholicam nihil aliud quam catholicam
 uocant. non enim possunt intelligi nisi hoc eam nomine
 discernant quo ab uniuerso orbe nuncupatur huius reli-
 gionis sectandae caput est historia & propheta dispensa-
 tionis temporalis diuinae prouidentiae pro salute gene-
 ris humani in aeternam uitam reformandi atque reparan-
 di quaecumque fuerit mentem purgabit uitae modus
 de diuinis preceptis conciliatus & idoneam facit & spiritali-
 bus percipiendis quae nec praeterita sunt nec futura
 sed eodem modo semper manentia nulli mutabilitate ob-
 noxia. id est unum ipsum deum patrem & filium & spiritum sanctum
 Quaternitate quantum in hac uita datum est cognita om-
 nis intellectualis & animalis & corporalis creatura ab ea-
 dem trinitate creatrice esse in quantum est & ordinatissi-
 me administrari sine ulla dubitatione perspicitur non
 ut aliam partem totius creaturae fecisse intelligatur pater
 & aliam filius & aliam spiritus sanctus sed & simul omnia & unam
 quamque naturam patrem fecisse per filium in dono spiritus sancti
 Omnis enim res uel substantia uel essentia uel natura